

LEGES ACADEMIAE

eius vanè usurpat. Item, Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Væ, qui spolias, quia spoliaberis. Hæc & similia multa dicta testantur, veram esse Regulam: Atrocia delicta comitantur atroces pœnæ & in hac vita.

Verissimè autem quatuor sunt præcipua officia politici Magistratus. Primum & summum est, sonare vocem decalogi rectè intellecti in genere humano, quia hæc sapientia Dei æterna & immota, est legum omnium fons & norma, ac vult Deus Magistratum præcipue vocem esse huius suæ legis, quod ad externam disciplinam attinet.

Secundum officium Magistratus politici, est, punire vi corporali violantes decalogum externis delictis, quia ad legem necesse est accedere executionem pœnarum, aduersus contumaces, iuxta dicta Pauli: Non frustra gladium gerit, Dei enim minister est, vindex ad iram aduersus mala facientem. Et Demosthenes recitat dictum Æschinis: ὅντερ τοπιον ὁφελός πόλεως, οὐτὶς μὴ νεύρα ἔστι τοὺς ἀδικοῦτας ἔχει.

Tertium officium est politici Magistratus, Diuinis legibus moralibus addere aliquas leges forenses, non pugnantes cum diuinis, sed circumstantias aliquas definientes, ut diuinæ leges maiore cura seruentur. Nam & hac potestate Deus politicum Magistratum armavit, ut sapientia Dei inquit: Per me Principes iusta constituunt, ut cùm prohibet Magistratus gerere arma in oppido, tollere vult occasiones temere pugnandi.

Quartum

B